NOS CAROLUS

Dei Gratiâ, Svecorum, Gothorum, Vandalorumque REX, Magnus Princeps Finlandiæ, Dux Scaniæ, Esthoniæ, Livoniæ, Careliæ, Bremæ, Verdæ, Stettini, Pomeraniæ, Cassubiæ, & Wandaliæ; Princeps Rugiæ; Dominus Ingriæ, & Wismariæ; necnon Comes Palatinus Rheni, Bavariæ, Juliaci, Cliviæ & Montium Dux.

NOtum testatumq; facimus omnibus & singulis, quorum interest, aut quomodolibet interesse poterit, quòd cùm relatum est Nobis, non paucos Inclytæ Reipublicæ Polonæ Senatores, Dignitarios, Nobiles, cæterosq; Incolas, adventu exercitus Nostri vehementer esse consternatos, utpotè quem Aula Regia Polona, Ejusq; asseclæ, falsissimis criminationibus deferunt, adeò insolescere, ut prædia Nobilium atq; Ecclesiasticorum sine discrimine diripiat, gravissima tributa extorqueat, omniaq; faciat, quæ ab hoste patrari solent; hanc autem famam constat in eum finem

esse ab iis disseminatam, ut mens Reipublicæ hisce accusationibus intenta, de primis hujus belli, quod insciâ Republicâ motum est, autoribus non cogitaret, neq; recordaretur ingentia illa mala, quæ à Rege Poloniæ Reipublicæ inflicta sunt, multo minùs illa, quæ ad evertendam Reipublicæ libertatem jam diu molitur, prævideret. Ideo ne distortæ ejusmodi calumniæ in animis Ordinum & Incolarum Regni Poloniæ invalescerent, sinistramq; de integerrimis Nostris erga Rempublicam studiis excitarent opinionem, necessarium duximus hisce iterare illa, quæ toties ad Rempublicam scripsimus, & simul noxias Regis Poloniæ machinationes, quas Ipse cæteriq; malevoli tanta anxietate celare cupiunt, omnibus in propatulo ponere. Notum enim est, quod postquam FRIDERICUS AUGUSTUS Elector Saxoniæ, diadema Polonicum per scissionem Ordinum invasisset, inductis in viscera Regni peregrinis copiis, quarum auxilio liberæ Gentis suffragia oppressit, adeoque violavit Cardinale illud libertatis Jus, quod in unius Nobilis contradicentis voce consistit: Ab illo tempore, violentum regimen continuando, omnes curas cogitationesque in eo defixit, ut, eversâ Republicâ, absolutum imperium acquireret. Quapropter Saxonicum militem, sine consensu Reipublicæ accersitum, non modò pertinaciter retinuit, sed etiam, ut eum in perniciem Reipublicæ aleret, Provincias Regni Poloniæ gravissimis exactionibus & tributis subjecit. Cum iniquissimis extorsionibus fessus Ordo Equestris, Constitutione Comitiali sanxisset, ut intra spatium sex hebdomadarum exiret vastator miles, simulabat quidem se consentire, donec eidem Constitutioni eludendæ novos dolos necteret. Interea

in

in nullo puncto Pacta Conventa & fidem juratam Reipublicæ servavit, adimplevitque; sed omnia pro suo arbitrio & libidine, tanquam in illimitato Dominio, facere aggressus est. Legationes ad exteros, Reipublicæ nomine, sed absque ejus scientiâ & jussu misit. Fœdera cum Moscorum Czaro, infensissimo Polonis vicino, clanculum percussit, arctissimamque amicitiam contraxit, ut ejus ope validior, Liberam Rempublicam in Dominationem converteret. Ab altera parte, ut munimenta Reipublicæ interciperentur, connivebat, variisque artibus annixus est, ut fundos Reipublicæ contra luculentam sanctionem, quæ Anno 1631 facta est, sui juris efficeret. Ut autem eò tectius destinata sua perficeret, Senatum in arduis negotiis, quæ ad Rempublicam pertinerent, exclusit, adhibitis è Saxonia Consiliariis infamibusque quibusdam, quos flagitia sua aliis Regnis expulerant. Horum perniciosis consiliis usus, nihil non attentavit, contemptâ Nobilitate Polonicâ, & eò quoque adactâ, ut mancipia Saxonum adoraret. Hæc indigenis ubique prælata: his honores mandati: his etiam custodia corporis credita, ut fastidium erga Polonos ostenderet, & parata haberet servitutis instrumenta. Quos servitio promptissimos, & in Reipublicæ perniciem venales deprehenderat, hos extollere, cæteros premere, & odiis sævissimis persequi non destitit. Atque ut diffidentiam inter Indigenas, & odiorum semina latius spargeret, sæpe vacantem unam dignitatem in plures simul contulit. Unde omnia in Republica disturbata, discordiis & dissensionibus plena, & in omnem licentiam effusa libido, cum justitiam exulare juberet, & quævis crimina impunita sineret. Nôrunt utiq; omnes, & etiamnum gemunt, dissidiorum, quibus Lithuania hodie ardet, fo-

mitem ab eo accensum, Nobilesq; & Illustres Familias ab eo invicem commissas, ut, alterutram partem fovendo, omnes tandem opprimeret. Quæ adeo ei successerunt, ut partim ipsius exercitu, qui stativa in Lithuania habuerat, partim discordiis illis internecinis, ad deplorandam & abominabilem desolationem Nobilis iste Ducatus redigeretur. Ex ejusmodi machinationibus documenta capi possunt, exitiosam valde hujus Regis fuisse intentionem, nisi fortuna Reipublicæ amica fatum avertisset. Tumquoq; Reip. Polonæ periculosum inprimis esse, illum habere Regem, quem suâ naturâ insolentem potentia propria, & opportunitas Regionum, quas Poloniæ vicinas possidet, ad vasta consilia, dominandiq; cupiditatem impellerent. Atqui non hîc immoderata hujus Regis libido substitit, quin ulterius glisceret, cum, inconsultâ Republicâ, bellum inchoaret, atq; ita certissimum summi Imperii pignus & palladium, quod in jure belli ac pacis maximè conspicitur, arriperet. Nobis enim, qui æternam cum Inclyta Republica Polona Pacem habemus, pactis Olivensibus & Sanctissimo utriusq; Partis jurejurando confirmatam, dolose & sine ulla justa causa, nefaria intulit arma. Cum amicitiam quam maximè simularet, oblato etiam arctiore fœdere, in mediâ pace, cum Nos tranquillè ageremus, confisi Pactis cum Repuplica initis, improviso ex Lithuania irrumpens, Provincias Nostras hostiliter invasit ac devastavit; munimenta quædam ex insidiis occupavit, commercia & navigationem cum insigni utriusq; Nationis damno & jactura sustulit; Civesq; Nostros ad seditionem allexit; tracto in societatem perfido Moscorum Czaro, ut furentis instar Oceani, imparatos Nos, & nihil mali suspicantes, uno

impetu

impetu obrueret, attereretq; Quod consilium ejus eò maximè tendebat, ut, occupatâ Livoniâ, dominationis arcem ibi fundaret, &, urgente ab altera parte Saxoniâ, Rempublicam Polonam quasi compede vinctam teneret; præsertim cum diuturno bello Turcico vires nondum collegisset: Sed cœleste Numen, quod perjuria & injusta bella abominatur, cum Nobis, tum amicæ Genti Polonæ propitium, destituit impias machinationes, superbamque Ducis Saxoniæ potentiam per Nos ita fregit & disjecit, ut fusus & dispersus exercitus ejus, non tantum è Nostris, sed etiam è Reipublicæ finibus, cum magna trepidatione excederet. Ut igitur Inclyta hæc Respublica, per victricia arma Nostra, copiis Saxonicis jam liberata, à metu quoq; Regis sibi gravissimi, eorumq; insidiis, quos partim ob privatum commodum, partim ex animo Libertati Polonæ infenso, faventes sibi habet, in perpetuum liberetur; atq; in pristino statu collocata, de læsionibus Jurium suorum, de Pactis Conventis toties conculcatis, de improborum Civium prævaricationibus, juxta clarissimam Reipublicæ Legem, quæ Cives jurejurando & obsequio solvit, cum Pacta Conventa à Regibus violantur, in judicium cum illo & asseclis ejus ire possit, resq; suas adversus ejusmodi molimina in posterum firmare; In Poloniam Nos cum robore exercitus Nostri intravimus, cùm subnixi justissima causa & omnium Gentium jure, quod vim vi repellere sinit, hostemq; ubicunq; recipitur & moratur, insectari; tum pleni fiduciâ, ob propensissimum Nostrum erga Inclytam Rempublicam animum, obq; fœdera sanctè & integrè à Nobis culta, atrocissimarum injuriarum & gravissimorum damnorum, quæ à fœdifrago Rege passi sumus, eam simul habitum iri rationem, ut, amo-

to omnium malorum, quæ Nostrum & Polonicum Regnum hodie affligunt, capite, satisfactio justa Nobis contingat. Neque enim, quamdiu ille Reipublicæ præest, securitatem ullam Nobis polliceri possumus, quem tot argumentis jam experti sumus fidem & jusjurandum nihili facere, neq; prius nocendi animum deponere, quàm nocendi facultas ei adimatur. Tum quoq; spes est, utrumque Regnum & firmiori amicitiæ nexu adstringi, & pacem tranquillitatemque posse invenire. Recordabitur quoque Respublica Sangvinem Antecessorum Nostrorum in Jagellonicam domum transfusum, adq; sceptrum inclyti hujus Regni provectum, unde Jura Reipublicæ Polonæ maximam partem sunt profecta: illa Nos protegere & sarta tecta conservare omnibus viribus annitemur. Hujus in Rempublicam animi & constantiæ pignora nuper dedimus, cùm per Comitem Königsmarchiam, & mox Vistumium, Aulicum suum, exclusâ Republicâ, secretam Pacem Rex Poloniæ offerret. Exoticas has personas, quas in diminutionem Illustrissimorum Legatorum, cum ingentibus promissis tacitè ad Nos miserat, ne in conspectum quidem Nostrum admittere voluimus, tanto minus quidquam, quod per illas potuissemus de Reipublicæ fundis lucrari. Quapropter cum ad persequendum Regem hunc, qui, fracto dolosè fœdere, primum per exercitum suum Saxonicum, deinde per Oginscium & Visnovicium, hostiliter Nos aggressus est, intolerabilibusq; damnis affecit, ulterius procedere coacti sumus; præsentibus hisce publicè manifestamus & profitemur, quòd nihil hostilitatis Reipublicæ Polonæ, aut Nobilitati, ejusdemq; bonis, juribus ac Privilegiis inferre, neq; Regnum affectare, neque de illo decerpere quidquam, neque aliam quampiam

piam

piam Perſonam in Regem eligendam proponere meditamur, intendimus vel cogitamus: ſed ut Inclyta hæc Respublica gravi ſibi ſuisq; juribus dominio, ſeſe liberare, obedientiam perjuro ac fœdifrago Regi renunciare, & alium, quem voluerit Regem, liberis ac concordibus ſuffragiis, juxta ſuum beneplacitum eligere, Leges & conſvetudines ſuas de liberâ Regis Electione læſas, & alia jura ſub regimine præſenti infracta reſtaurare, juſtitiam exulantem revocare, ejusq; adminiſtrationem, ne vi, nec cædibus, ſed jure inter ſe experiantur Cives ejus, ad antiquum uſum reducere queat ac valeat. Hiſce ſaluberrimis conſiliis ſi Rempublicam favere intelligimus, Nos, iis feliciter peractis, quorum gratiâ huc acceſſimus, ſine ulla mora ac impenſarum exactione, Exercitum Noſtrum ex finibus Reipublicæ parati erimus reducere, aut pacto fœdere, ſi ita viſum fuerit, in eam plagam convertere, unde utriq; Regno emolumentum accreſcat. Hanc addimus conditionem, ut annona pro Exercitu Noſtro tranſituro, vel conſiſtente, tamdiu concedatur & comportetur, ne Miles ad commeatum capiendum neceſſitatem habeat excurrendi, atq; adeo ob exactiones querimoniis anſam præbeat. Quâ ordinatione factâ, pro modeſtia Militis Noſtri, qui ſummâ diſciplinâ & ſeveriſſimis mandatis Noſtris coërcitus eſt, ſpondere non dubitamus. In quorum omnium pleniorem fidem, præſentes haſce manu Noſtra ſubſcriptas, Sigillo Noſtro Regio muniri juſſimus. Dabantur ad Oſtroviam die 16 Maji Anno Domini 1702.

Carolus.

(L. S.)

C. Piper.